

nisteriale respectu principalis agentis.

CCCIV. Ad confirmationem respondetur, illum ordinem servari in naturalibus, in quibus proceditur de imperfecto ad perfectum; in ordine tamen ad Deum, non esse talem ordinem necessarium, quia potest quacumque creatura uti ad quemlibet effectum voluerit, per potentiam obedientialem creaturæ.

GRATIA NON CREATUR, SED EDUCITUR.

CCCV. Secundo objicies: Gratia non est forma educibilis de potentia animæ, sed sola actione Dei fit, sicut anima rationalis: ergo sicut est alia actio efficiens animam rationalem in se, alia uniens ipsam materiæ; ita erit alia actio efficiens gratiam, alia uniens ipsam animæ, et ad hanc sacramenta concurrunt, non ad primam. Antecedens probatur, nam gratia non est ejusdem ordinis cum potentia receptiva illius (suscipitur enim materialiter in essentia animæ, quæ est ordinis naturalis) ergo non educitur ex potentia in qua recipitur, quia est extra ordinem talis potentiæ subjectivæ: ergo alia est actio uniens illam formam tali subjecto, alia producens illam, ut extra ordinem talis subjecti.

CCCVI. Confirmatur, nam in forma quæ producitur, aliud est entitas formæ, aliud unio ejus ad subjectum; et hæc duo separari possunt, sicut separantur in re, quando Deus ponit accidens extra subjectum; ergo possunt terminare diversas actiones, et sic per aliam actionem producitur entitas gratiæ, per aliam vero unitur subjecto.

CCCVII. Confirmatur secundo, nam in forma quæ unitur subjecto est dependentia illius formæ a Deo, et a subjecto, cui unitur: dependentia au-

tem a Deo est essentialis et invariabilis in tali forma; dependentia autem a subjecto variari et tolli potest: ergo illa forma quocumque fit, et accipit dependentiam invariabilem et essentialem a Deo, et accipit aliam variabilem respectu subjecti; illa autem invariabilis a Deo est ad modum creationis, et respicit entitatem formæ, non unionem ejus ad subjectum; et sic est distincta actio ab ea, qua unitur forma subjecto; quod præsertim habet verum in opinione Thomistarum dicentium, quod non indiget Deus nova actione ad hoc ut conservet accidens extra subjectum, sed illa ipsa quæ in subjecto conservat accidens, sine subjecto illud conservat; et ideo non indiget ponere novum modum in accidente separato.

CCCVIII. Respondetur distinguendo antecedens; gratia non est educibilis de potentia animæ, distinguo; de potentia naturali, concedo; de potentia obedientiali, nego; et ita non est educibilis connaturaliter, bene tamen est educibilis absolute et obedientialiter. Plus enim requiritur ut eductio sit connaturalis, quam ut sit educibilis absolute; ad illam enim requiritur naturalis proportio, et habitudo inter materiam et formam, potentiam et actum.

CCCIX. Ad probationem dicitur, gratiam recipi in anima, quæ quidem entitative est ordinis naturalis; secundum quod tamen obedientialiter est ordinis supernaturalis passive. Omnes enim formæ supernaturaliter passive recipiuntur in anima, aliæ quidem constituendo suum subjectum in ratione agentis supernaturalis; aliæ vero non constituunt in ratione agentis, sed in ratione essendi, ut gratia, aut actus agendi respectu agentis, ut visio beatifica, etc. Omnes tamen passive sunt in anima, ut elevantes eam ad alium ordinem, et consequenter sunt in

illa secundum quod obedientialiter se habet ad illum ordinem, non secundum quod se habet connaturaliter ad illas. Sicut ergo inhærent in ipsa anima secundum quod elevabilis est supra suum ordinem, ita et educuntur et dependent ab ipsa anima, secundum quod obedientialiter se habet ad ordinem supra se, et non secundum naturalem habitudinem ad illam formam.

CCCX. Itaque aliud est accipi in entitate naturali animæ, aliud recipi in illa secundum habitudinem et inclinationem naturalem ad formam; et cum non suscipiantur in ea secundum naturalem ejus inclinationem, sed obedientialem, consequenter neque educuntur ex illa secundum naturalem inclinationem, seu obedientialem, et ratione hujus potentia susceptiva est ejusdem ordinis cum forma obedientialiter, et per non repugnantiam in ordine ad Deum, non naturaliter, et secundum positivam inclinationem, et habitudinem positivam ad formam. Ad causalitatem autem materialem non requiritur positiva inclinatio ad formam, sed sufficit non repugnantia; ubi enim subjectum est non repugnans, formam non repugnat intrare cum non intret per vim subjecti, sed per vim agentis: in agente autem requiritur non solum non repugnantia, sed efficientia, et emissio ex se, unde positivam virtutem et ordinem non solum non repugnantiam habere potest: anima autem rationalis, non inhæret in materia, et sic non educitur ab ejus potentia, quia non pendet ab ipsa in esse.

CCCXI. Ad primam confirmationem dicitur, quod entitas formæ et unio ejus in re sunt quid solum formaliter modaliter diversum, in ordine tamen ad actionem eductivam non ponunt in numero: et ideo licet diversas actiones terminare possint,

veluti in sensu diviso, tamen non diversas actiones eductivas, cum eo ipso quod est eductiva, necessario includat facere formam ut unitam. Sicut licet aliud sit natura, aliud subsistentia, tamen respectu creationis nequit fieri nisi res subsistens. Et licet aliud sit ratio objectiva, aliud præsentialis, respectu tamen intuitionis non potest præscindere unum ab alio.

CCCXII. Ad secundam confirmationem dicitur, quod dependentia quam res habent a Deo, licet sit magis essentialis quam alia, non tamen seorsum se habet ab ea, qua educitur a subjecto, sed subordinat sibi actionem inferioris agentis, quæ eductive se habet ad formam, et sic non ponit in numero cum actione eductive; neque ideo ponenda est alia actio, qua Deus faciat a se dependere effectum, alia qua ab agente creato dependeat, sed illa actio divina facit utrumque, et quod pendeat entitas a se, et quod non seorsum a se pendeat, sed simul a creatura cum educatione a subjectione, cui unitur; ita tamen quod in tota hac productione effectus cum dependentia a subjecto et ab agente creato, major sit dependentia a Deo, quam ab agente creato, et a subjecto.

CCCXIII. Et ideo si Deus potest remoto agente creato et subjecto sustentare formam se solo, quando tamen sustentat simul cum subjecto, non est necesse quod sit actio seorsum terminata ad entitatem formæ, et alia terminata ad unionem; sed actio Dei, et in entitate, et in unione, et in ejus formalitate ac modo concurrat, et similiter creaturæ actio ad entitatem et unionem concurrat; sed quia hæc in genere inferiori, illa in superiore et supremo, magis pendet a superiori, quam ab inferiori, potestque per potentiam superioris amoveri dependentia inferiori

ris, manente dependentia a solo superiori; et ideo major ista dependentia non variat actionem, sed modum et graduationem actionis. Non ergo sequitur, quia magis dependet a Deo quam a subjecto, et ab agente creata, quod sit diversa actio Dei et agentis creati; ita quod illa sit seorsum ab ista, sed in omni ista imbibitur actio Dei, et ab illa dependere facit effectum.

GRATIA NON EST EXTRA SPHÆRAM INSTRUMENTI, ET QUID SIT ILLUD OPERARI DISPOSITIVE.

CCCXIV. Tertio objicies: Nulla causa, etiam instrumentalis, potest operari ultra suum objectum et sphæram, sed res corporalis non habet intra suum objectum proportionatum, neque extensivum rem spiritualem, et præsertim supernaturalem, qualis est gratia: ergo non potest etiam instrumentaliter illam attingere. Major certa est, quia operari sequitur ad esse: ergo sicut nihil potest extrahi a suo esse specifico, ita neque operari ultra suum objectum adæquatum, proportionatum videlicet, et extensivum. Minor etiam patet, quia gratia neque est objectum proportionatum, neque extensivum rei corporalis, cum excedat omnem ordinem naturalem.

CCCXV. Confirmatur primo, quia ideo non potest Deus efficere quod oculus (etiam instrumentaliter) attingat sonum, quia est extra ejus adæquatum objectum: ergo similiter non poterit elevari res corporea ut attingat instrumentaliter rem supernaturalem, quia est extra ejus objectum adæquatum.

CCCXVI. Confirmatur secundo, quia nullum instrumentum potest elevari ad aliquem effectum, nisi habeat propriam operationem dispositivam

ad talem effectum, corporale autem instrumentum nullam operationem propriam habet dispositivam ad gratiam. Major est D. Thomæ i parte, quæst. XLV, art. v, et ratio ejus est, quia alias non requirerentur determinata instrumenta ad determinatas actiones et effectus, nisi aliquid ad talem effectum operaretur instrumentum; et loquitur ibi S. Thomas de potentia absoluta Dei, et supposita ejus motione; dicit enim: « Non posse dari instrumentum ad creandum, neque posse aliquam creaturam, sive principaliter, sive instrumentaliter creare: » quod de potentia ordinaria nullum est dubium.

CCCXVII. Si respondeas, quod per ly dispositive operari, non intelligit S. Thomas dispositionem aliquam naturalem, et proprie operativam ad effectum, sed obedientialem dispositionem, id est, quod habeat veram entitatem capacem divinæ motionis in tale instrumentum, et ita quando instrumentum assumitur ab agente naturali, requirit naturalem dispositionem, quando ab infinito, sufficit obedientialis determinatio, et ita requiruntur determinata instrumenta vel obediencialiter, vel naturaliter,

CCCXVIII. Contra hoc enim est, nam si non requiritur quod instrumentum agat secundum propriam et physicam operationem, sed solum quod recipiat actionem et motionem Dei; ergo nihil repugnabit quod elevetur, et recipiat motionem creatura ad creandum, quod negat S. Thomas. Sequela patet, nam illa motio quæ communicatur potentiæ obedienciali instrumenti, est infinite virtutis, utpote Dei; et sic potest in effectum superiorem ipsi instrumento. Item, ex parte modi producendi non supponit in instrumento, quod aliquid agat circa effectum producendum, aut materiam ejus:

ergo circa nullum præsuppositum subjectum operando potest motionem illam recipere, et per illam operari; illa enim motio ut est a Deo non exigit quod operetur circa aliquod præsuppositum subjectum; ut autem erit ab instrumento, non præsupponit operationem aliquam ejus circa subjectum operans, cum nulla in instrumento sit actio propria; ergo potest operari circa nullum præsuppositum, et consequenter creare.

CCCXIX. Respondetur ad principale argumentum, distinguendo antecedens; nulla causa potest operari ultra suum objectum, secundum naturalem suam virtutem, et prout illi innititur, concedo; secundum virtutem alterius agentis, et prout illi innititur, nego. Nam secundum hanc tantum poterit, quantum agens illud ei communicaverit, nisi modus operandi impedierit. Et cum agens infinitum, quod est Deus, non communicet instrumento virtutem secundum ejus potentiam naturalem, sed secundum obediencialem, potest sine ullo termino operari ultra propriam naturam. Unde in instrumentis potest distingui triplex objectum: aliud est proportionatum sibi naturaliter, et in hoc possunt per modum agentis principalis; aliud extensivum naturale, et in hoc possunt per modum instrumenti agentis naturalis, sicut serra potest in cathedram; aliud extensivum obedienciale, et in hoc possunt secundum virtutem agentis infiniti, quod est Deus; et ad hoc nulla requiritur naturalis proportio, sed solum obediencialis; et ita ultra objectum, sive extensivum, sive proportionatum nunquam agunt, quia hoc mensuratur juxta virtutem ab alio agente susceptam, ultra id quod ex propriis possunt.

CCCXX. Ad primam confirma-

tionem respondetur, quod aliud est quod Deus elevet corpus ut attingat spiritum instrumentaliter, aliud ut attingat illud tali modo, id est, vitaliter, aut ut causa principalis: visus enim non potest attingere vitaliter sonum, etiam de potentia absoluta, quia deberet hoc facere a principio vitæ conjuncto, et non ex instrumentali motione alicujus. Similiter neque corpus potest ut causa principalis attingere rem spiritualem, quando solum agit per organum corporeum. Cæterum ministerialiter et instrumentaliter, et visus et corpus, et quælibet creatura potest agere ultra suum objectum adæquatum virtutis propriæ, sed non ultra objectum adæquatum instrumentariæ operationis; tunc enim operatur non secundum suam virtutem, sed secundum virtutem principalis agentis; unde secundum illam mensurandum est adæquatum objectum, non secundum istam; et ideo non agit extra adæquatum objectum vel propriæ vel alienæ virtutis; repugnat tamen quod tali modo, (id est, ut causa principalis aut vitalis) ultra propria operetur.

CCCXXI. Ad secundam confirmationem respondetur, quod circa dispositionem, quam D. Thomas ponit in instrumento, ut agat secundum propriam formam dispositive ad effectum principalis agentis, varie torquentur Thomistæ. Quidam enim intelligunt requiri propriam actionem instrumenti, essentialiter distinctam ab actione communicata a principali agente, ut Ferrara ii contra gentes, capite XXI, circa sextam rationem S. Thomæ: alii vero (ut Cajetanus i p. quæst. XLV, artic. v, quem sequitur Bagnez ibi) dicunt requiri a S. Thoma actionem instrumenti propriam, non tamen distinctam realiter, et distinctum terminum realem habentem ab actio-

ne principalis agentis; requiri tamen quod ipsum instrumentum operetur actione propria, quæ sit aliquid prævium ordine naturæ actioni principalis: alii vero (ut Nugno super istum articulum, difficultate septima) existimant nullam actionem realem et naturalem præsupponi in instrumento, sed quod dispositio illa, quam debet habere instrumentum respectu effectum principalis agentis, debet esse obedientialis; dispositio autem obedientialis non est operatio propria, sed non repugnantia ad suscipiendam divinam motionem; et sic operationem istam interpretatur large, pro omni eo quod se habet ad instar operationis.

CCCXXII. Verius tamen videtur, ad instrumentalem operationem per se non requiri quod instrumentum proprie agat actione distincta ab agente principali, et distinctum terminum habente; requiri tamen quod operetur, seu egrediatur a potentia instrumenti actio: quæ actio egreditur virtute motionis principalis agentis, secundum dispositionem tamen et modum egrediendi instrumenti. Hoc enim expresse determinat S. Thomas in quæstione III de potentia, art. IV, dicens: « Actio alicujus, etsi sit ejus ut instrumenti, oportet quod ab ejus potentia egrediatur. » Et valde notandum quod ibi probat D. Thomas, non posse dari instrumentum creandi, quia creatio infinitam virtutem requirit in potentia, a qua egreditur. Nota illud a qua egreditur; ex parte enim modi egressionis hoc requirit; et hoc est dispositive operari ad effectum principalis agentis; non quia aliquem terminum producat, qui sit dispositio ad effectum (neque enim semper requiritur, neque est facile assignare in productione gratiæ, in igne torquente dæmones, etc.) sed quia po-

tentiam suam, et modum emittendi actionem ex illa, quæ est aliquid sibi proprium, accommodat et subicit divinæ motioni, ut a se egrediatur actio virtuosior, virtute superioris agentis.

CCCXXIII. Et ideo S. Thomas optime dixit in quæstione illa XLV, I p. « Quod causa instrumentalis non participat actionem causæ superioris, nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis. » Non enim dixit in quantum dispositionem aliquam operatur ad effectum principalis agentis (hoc enim multos torsit, putantes quod idem esset apud S. Thomam, dispositive operari, et dispositionem operari) non quidem est ita, sed dispositive operari secundum sibi propria, est dispositionem præbere, seu dispositivum modum proprium, quo exeat actio productiva effectus. Exire enim debet ab ipso instrumento, et non solum per illud transire. Si autem ab eo exit, secundum modum proprium agenti ipsius instrumenti exit. Non potest autem secundum modum proprium operandi instrumenti exire, nisi ipsum instrumentum secundum propria operetur, non secundum propriam activitatem, sed secundum modum proprium operandi, quia modus operandi in ista actione relucet, non in potentia nondum operante.

CCCXXIV. Et ideo usus est S. Thomas illo verbo dispositive operari, ut utrumque complecteretur, et operari dispositionem, et operari dispositive; non quia dispositionem aliquam operatur, sed quod secundum modum suæ dispositionis, ad quem movetur, operatur. Ad hoc ergo ut exeat actio ab instrumento, et exeat secundum modum proprium operandi ipsius instrumenti, requiritur quod ipsum instrumentum secundum propria ope-

retur, ut illi operationi adjungatur virtuosior activitas superioris agentis; et ideo non oportet duplicem effectum ab agente principali operari, sed eundem, secundum dispositionem tamen, seu modum operandi ipsius instrumenti: si autem nihil omnino ageret instrumentum, non exiret actio ab eo secundum modum ejus, sed transiret per illud, et sic frustra adhiberetur ad agendum, sed solum ad patiendum: constat autem instrumentum agere, et ab eo exire actionem ad effectum principalis agentis.

CCCXXV. Unde ad argumentum respondetur, quod per ly dispositive operari instrumentum, non intelligit S. Thomas aliquam dispositionem tamquam effectum operatum ab ipso instrumento secundum propriam virtutem, sed intelligit modum proprium operandi instrumenti, quo disponit, et afficit motionem superioris agentis, ut exeat actio ab instrumento secundum dispositionem, quam habet in modo operandi. Distinguo ergo; instrumentum per aliquid sibi proprium dispositive operatur; dispositive in ordine ad effectum et ex parte rei operatæ, nego; dispositive in ordine ad moventem, et ex parte modificationis operationis, concedo.

CCCXXVI. Ac replicam respondetur, negando sequelam; ad creandum enim requiritur quod non solum ex parte effectus producat ens in quantum ens, sed quod ex modo operandi non præcedat actio secundum potentialitatem, et dependentiam a materia. Nam eo ipso quod præcedit actio cum dependentia a materia, præcedit ut mutatio, et non ut simplex emanatio. Creatio autem mutatio non est, ut sæpe dicit D. Thomas; et ita actio ista, in eo quod est exire a creatura, deficit a modo, quo debet præcedere actio creativa. Nam eo ipso quod

creatura emittit ex se actionem, procedit illa a potentia, quæ non est actus purus, sed limitatus; et consequenter actio illa præsupponere debet subjectum, et in subjecto existens operari. Quod autem operatur in subjecto existens, non agit ex nihilo, seu ex nullo præsupposito subjecto, sed in eo agit, in quo existit, et secundum immutationem alicujus, circa quod operatur; et ideo dicit S. Thomas III de potentia, art. IV: « Quod actio, qua est accidens, non potest sine recipiente materia operari. »

CCCXXVII. Et præterea, quia actio egrediens a principio quod dicit potentiam, et non purum actum, ex parte modi egressionis et processionis suæ egreditur cum potentialitate, sicut postulat actio creata; actio autem cum potentialitate egrediens, ex modo talis operationis non potest egredi circa nihil, et nullum præsupponere subjectum; tum, quia ut recepta in materia operatur, quia actio quæ est accidens, extra subjectum non est; quæ autem operatur recepta in materia, ut recepta in illa, non potest operari effectum ex nullo præsupposito, et omnes entis rationes attingere.

CCCXXVIII. Tum, quia actio attingens ens in quantum ens, oportet quod omnes rationes entis in effectu inclusas attingat, et sic supra omnes habeat activitatem et actualitatem; si autem actio limitata est, et cum potentialitate procedit ex modo egrediendi, non potest activitatem habere supra omnes rationes entis, sed juxta suam limitationem debet talem effectum et actus ejus attingere, si quidem ex modo procedendi actio creativa talis actio est, ut nullam rationem entis creabilis præsupponat, sed super omnes activitatem habeat; et ita actio, quæ sufficit creando producere for-